

in sompnis aure capescerem, subito quidam monachus, ante me lucernam ferens, excitavit a sompno et ad matutinarum officia surgere compulit, nam circumcisionis Domini agebantur vigilie.

Post parvum ergo temporis spatium supradictus rex Arvernum venit contra Gaiferium ducem. Qui predictus 761. rex castrum Borbonense et quedam alia evertens, Arvernens civitatem obsedit. In qua obsidione memor sompnii quod viderat, dum Aurelianis adesset, cum paucis Mauziacum adiit orandi causa. Mox vero ut adventum eius ego peccator Lamfredus audiui, cum omni conventu fratrum cum crucibus et cereis et turibulis obviam ei exii. Post susceptionem vero et orationis finem, osculatis tam abbate quam ceteris fratribus, gratias egit. Postea ad consilium solum vocans Lamfredum, interrogat, qualiter a dompno Calminio senatore isdem locus fuerit olim constructus. Cui con cuncta enarrasset, supradictus rex ait quandam sibi visionem fuisse ostensam apud Aurelianis, ut eundem monasterium reedificaret noviter. Et abba per ordinem visionem quam viderat regi pandens, ut cercius crederet, ad cimiterium deduxit, in quo vestigia cervi inpressa fuerant, ut veram esse crederet. Que vestigia clementissimus rex conspiciens, iussit, ut basilica mire magnitudinis construeretur in eodem loco, deditque immensum pondus auri et argenti ad construendum templum et monasterii necessaria cuncta. Qui postquam ad exercitum rediit, multa paria boum con plaustris, honeratis ex lapidibus quadris, quos ex civitatis parte magna exercitus destruxerat, iussit adduci.

Ipsis igitur diebus obiit Stephanus episcopus Arvernice sedis. Post quem ordinatus est Adeburtus in episcopatu a dompno Pipino post civitatem captam. Qui postea cum dicto venerabili rege, cui divinitus ostensa fuit visio super translationem corporis beati Austremonii, ipsius preciosi martiris ossa veneranda a Vulvico Mauziacum honorifice 767. cum pompa sollempni detulit. In cuius rei munimen et certitudinem memorie dictus episcopus Arvernensis in ecclesia Mauziacensi sepeliri se fecit.

4. Ueber die handschriftliche Grundlage von Gregors Miracula.

Wie ich in meiner Ausgabe, Script. rer. Merov. I, 476, auseinandergesetzt habe, sind die erhaltenen vollständigen Hss. von Gregors 8 Büchern Miracula durch Lücken ent-